



Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

3. Eos verò, qui non obtemperabant, pro Atheis & Hæreticis habitos esse demonstratur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

gata contempserit, anathema sit. Episcopi Galliarum in Concilio Pontigonensi can. 1. (a) *Quæ secundum sacrum suum ministerium Apostolicâ auctoritate Spirituâlis Pater noster, & universalis Papa decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debitâ illi obedientiâ in omnibus observentur.* Denique (ut alia quàm plurima omitam, quæ videri possunt apud eruditissimum Cardinalem Aguirre, qui tam præclare, solidèque hoc argumentum prosecutus est, ut credam, omnibus gloriam præreptam esse, aliquid melius, fortiùsque scribendi, & reverà quidquid de auctoritate Pontificia Bellarminus, alijque collegerunt, umbra est, si ad hunc solem conferantur) Gallie Episcopi novissimè, hoc est anno MDCLIII. literis decimâ nonâ Julij ad Innocentium X. datis: *Judicia, inquirunt, pro sancienda regula Fidei à summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis Relationis sententiam ponant, sive omitant) divinâ aequè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur. Eâ nos quòque sententiâ ac fide imbuti &c.* Quid potuit clarius, & manifestius à Gallis dici? Nota præsertim illa verba: *Summâ ac divinâ auctoritate niti.* Si ergo etiam ex Gallicane Ecclesie sententia Pontificum Decreta à nullo mutari, violarique possunt, sed ea sub pœna Anathematis recipere, ac observare tenentur, sequitur evidentiùs, etiam ante consensum Ecclesie infallibilia & certissima esse, alioquin liberum esset ea aut amplecti, aut respuere. Et reverà cum Illustrissimi Episcopi in ultimo Parisiensi Conventu declarârunt: *Non esse Pontificis irreformabile Judicium, nisi Ecclesie consensus accesserit, id planè non ob aliam causam fecere, quàm ut liberè postea, quæ Innocentius XI. contra Regaliam decreverat, effugere possent, prætextu erroris; quippe prima cura est Reo sententiam formidanti, contra Judicis auctoritatem excipere.* Ut planè & ex natura rei, & ex adversariorum intentione idem sit, præsertim in rebus fidei, falli Pontificem posse, & non teneri Ecclesiam obedire. Quis enim obediat præcipienti impossibilia? at impossibile est, ut fide divinâ credas, quod est dubium & incertum, cum Fides Divina sit de rebus certis & indubijs.

III. tertio. Exortâ aliquâ de rebus fidei quæstione, ut Catholici

(a) Anno DCCCLXXVI.

lici ab hæreticis aliquâ, certâque notâ, distinguerentur; utque certi ipsi essent, quid credere, quid respuere deberent, se id credere profitebantur, quod Pontifices Romani crederent, damnare, quod ipsi damnarent, suamque fidem in rebus fidei eorum iudicio submittebant, & doctrina à Pontificibus Romanis, quamvis extra Concilium, hæresis damnata, statim pro hæretica habebatur. Ex quo sequitur, iudicium Pontificis esse infallibile, & irreformabile; si enim falli & reformari posset iudicium Pontificis, ergo falli & reformari possent dogmata ab eo decisa, utpote errori obnoxia; & fallibili ac lubricâ auctoritate nixa; at dogmata fidei nunquam falli aut reformari, corrigique possunt, cum sint æternæ veritatis, & idèd in rebus fidei semel decisa semper decisa, semel vera semper vera, sicut econtrâ semel reprobata semper reprobata, semel falsa semper falsa. Nec sufficit dicere (quod Patres ultimi Conventus Parisiensis in sua Declaratione insinuant) *præcipuas esse in rebus fidei partes Romani Pontificis, non tamen sententiam irreformabilem.* Quomodo enim reformabilis, si ex illa pendet Ecclesiae fides? si ex illa Catholici ab hæreticis distinguuntur? si, qui illam reformare ac mutare conantur, pro hæreticis, & Schismaticis habentur? si ex illa pendet, quænam doctrina Catholica, quænam hæretica sit? num ergo aut fides, aut hæresis reformari potest, ut quæ semel vera fuit, postea evadat falsa, & quæ semel falsa, postea sit vera? Sed audiamus testimonia Patrum, ad sententiam Rom. Pontificis, velut ad lydium lapidem, suam aliorumque fidem explorantium, verumque aurum à falso distinguentium. Credo equidem, neminem lecturum, quin statim cedat veritati; tam videlicet clara, tam manifesta sunt, ut unum idemque sit, ea legere & vinci, aut si vinci nolis, saltem confundi pudore ac conscientia veritatis. Excurramus ergo per omnes seculorum ætates. Quia tamen sæpe in hac tota Dissertatione testimonia antiquorum Pontificum trium priorum seculorum usque ad Siricium occurrent, qui obiit anno 398. & illa à gravissimis auctoribus in dubium vocantur, quantvis Decreto Gratiani inserta, præmittendum est, quæ, & cuius sint auctoritatis. Er primò quidem non agimus de epistolis S. Cornelij, quæ extant inter opera S. Cypriani, nèque de epistolis Julij I. quæ referuntur à S. Athanasio Apolog. 2. nec de epistolis Liberij, quæ à

S. Hilario, in fragmenta recensentur, nec de epistola Damasi ad Illyrici Episcopos, quam exscribit Theodoretus l. 2. histor. Ecclesiast. c. 22. sola ergo quaestio est de ijs epistolis, quas ex Isidori mercatoris collectione Compilatores Canonum in numerum & Catalogum Decretalium retulere, nec earum à veteribus historiarum Ecclesiasticarum scriptoribus, aut sanctis Patribus ulla fit mentio. Tales sunt S. Clementis quinque, S. Anaclei tres, Evaristi duae, Alexandri tres, Sixti I. duae, Telesphori una, Hygini duae, Pij I. quatuor, Aniceti una, Soteris duae, Eleutherij una, Victoris quatuor, Zephyrini duae, Callisti I. duae, Urbani I. una, Pontiani duae, Anteri una, Fabiani tres, Cornelij duae, Lucij una, Stephani I. duae, Sixti II. duae, Dionysij duae, Felicitatis tres, Eutychiani duae, Caij una, Marcellini duae, Marcelli I. duae, Eusebij tres, Melchiadis una, Sylvestri una, Marci una ad S. Athanasium, Julij I. duae, Liberij duae, Felicitatis II. duae, Damasi plures, nimirum tres ad S. Hieronymum, ad Afros de Chor-Episcopis, ad universos Episcopos Italiae, ad Aurelium. De his quaerimus, legitimae sint, an verò supposititiae, & dico esse supposititias, & falsò ijs Pontificibus adscriptas. Id ita esse ex sequentibus rationibus patet. *Primò.* Quia illae epistolae abundant verborum sordibus, omninò alienae sunt ab elegantia sermonis illius aetatis, & à Majestate & gravitate alijs Pontificibus, qui tunc temporis scribebant, usurpata. *Secundò.* Quia eodem scribendi stylo & caractere praeditae sunt, ut unus tantum scriptoris, non plurium & diversorum esse omninò videantur. *Tertiò.* Quia utuntur vulgatà S. Hieronymi versione, quae multò recentior est, ut proinde videantur post aetatem Hieronymi scriptae. *Quartò.* Quia Hieronymo, qui scriptorum Ecclesiasticorum catalogum texuit, Innocentio, Leoni, aliisque sanctis Patribus incognitae. *Quintò.* Quia Dionysius Exiguus, qui tempore Justiniani scripsit, & Romae omnium Pontificum Romanorum Constituta, Decreta & epistolas colligebat, nunquam earum meminit, sed initium à Siricio facit. *Sextò.* Quia Legum Imperatoriarum verba, quae in Codice Theodosiano habentur, usurpant, cum tamen ij Pontifices duobus, aut tribus seculis Codicem Theodosianum praecesserint. *Septimò.* Leo IV. anno circiter 850. diligenter epistolas Decretales enumerans initium sumit à Siricio Papa. *Octavò.* Codex Canonum Ecclesiae Romanae ex tribus vetustissimis exemplaribus

trans.

transcriptus solas exhibet Decretales à tempore Siricij. *Nonò.* Earum epistolarum argumenta, contra morem omnium Ecclesiasticorum Doctorum & Patrum, qui ijs seculis scripsère, omninò ijs temporibus non conveniunt, & nihil tradunt, quod controversijs, quæ eà tempestate agitabantur, accommodatum sit. *Decimò.* Omnes ferè veterum Pontificum epistolæ falsis temporum & Consulibus notis consignantur. *Undecimò.* Ipse Baronius & Bellarminus, imò plerique hujus temporis Auctores apocryphas esse fatentur. *Duodecimò.* Singulæ propemodùm manifestis erroribus scætant, v. g. epistolæ Anacleti habent testimonia Damasi, Augustini, Idacij, Gregorij M. Gelasij, aliorumque, qui diu post vixere. Agunt quòque de Patriarchis, quorum nomen primò audiri cœpit circa tempus Concilij Chalcedonenfis. Et ita de reliquis. Ergo, ut dixi, primorum Pontificum epistolæ omninò supposititiæ videntur, non idèò tamen contemnendæ auctoritatis: Nam, ut de Marca (a) fatetur, *de sententijs & verbis legum, Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum, qui quarto seculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.* Et idèò Hincmarus, qui octavo seculo floruit Rhemensis Archiepiscopus, quamvis negaret, eas epistolas ad Canones pertinere, nec canonum auctoritate præditas esse, eas tamen magni facit, earumque auctoritate sæpè utitur, & cum Hincmaro tota ferè Gallia, teste eodem de Marca, (b) unde in Concilio Rhemensi anno DCCCCII. Anacleti, Julij, Damasi, aliorumque Pontificum epistolæ expenduntur in causa Arnulphi. Et Ivo quòque Carnotensis suæ Canonum collectioni intexuit, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum publicavit circa annum Ml. Agnovit etiam Concilium Aquisgranense circa annù Domini DCCCXXXVI. Concilium Colonienfè anno DCCCLXXXVII. Moguntinum anno DCCCLXXXVIII. Metensè anno DCCCLXXXVII. Triburiensè anno DCCCLXXXV. Rhemensè anno DCCCLXXXII. Lateranensè sub Callisto II. Ex quibus constat, Decretales primorum trium seculorum non esse quidem eorum Pontificum, quibus inscribuntur, magni tamen momenti, magnæque auctoritatis; quid enim refert, cui nomini tribuantur, si veræ sunt? nec interest, Apellem, aut Parrhasium auctorem imago habeat, si pulchra est & placet;

A a 2

(a) Marca lib. 3. cap. 5. §. 1. (b) Marca lib. 3. cap. 6. §. 2.

placet; sint aurum, si non sunt gemmæ, an idè contemnas? His ita de auctoritate earum epistolarum disputatis videamus, quomodo Patres omnium seculorum thesin nostram confirmant.

S. Irenæus antiquissimus & doctissimus Patrum, & Episcopus Lugdunensis lib. 3. adversus hæreses c. 3. *Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maxime & antiquissima, & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Roma fundata & constituta Ecclesia eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter principalem Principatum necesse est, omnem convenire Ecclesiam, in qua semper ab ijs, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Vides signum, quo hæreticos confundimus, & Catholicos ab ijs distinguimus, esse traditionem & fidem, quæ in Roma constituta Ecclesia semper servata est, & consequenter usque ad finem mundi semper conservabitur, alioquin non oporteret, ad eam omnes convenire Ecclesias.*

Tertullianus de Præscriptionibus c. 36. loquens de Romana Ecclesia: *Statu, inquit, felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt, videamus, quid dixerit, quid docuerit. En tibi lydium lapidem, quoties dubitas.*

S. Hieronymus ad Damasum Papam de tribus hypostasibus: *Idcirco obtestor Beatitudinem Tuam, per crucem Domini, ut mihi litteris Tuis, apud quem in Syria communicare debeam, significes. Noli despiciere animam, pro qua Christus mortuus est. Discernite obsecro; non timebo tres hypostasies dicere, si jubetis. Quamobrem obtestor Beatitudinem Tuam, ut mihi epistolis Tuis sine tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.*

Idem S. Hieronymus in expositione Symboli circa finem, prout etiam allegatur à S. Thoma 2. 2. q. 11. a. 2. ad 3. *Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus perire, aut parvam cavè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri fidem & Sedem tenes; si autem hæc nostra Confessio Apostolatus Tui iudicio comprobatur, quicumque me culpate voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hereticum comprobabit.*

S. Cyrillus Alexandrinus in libris Theauri de SS. Trinitate (manifestum est, non tantum quatuordecim esse, sed triginta duos, qui

qui à præcis scriptoribus allegantur) quos allegant S. Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 68. & opusc. 29. cap. 3. Cardinalis Turrecremata l. de Potestate. Gennadius in opere quadripartito pro Synodo Florentina. Alanus Copus Dial. 1. cap. 13. Andreas Episcopus Græcus Colossensis in Synodo Florentina, nemine Græcorum dissentiente; hi inquam omnes nunquam auderent in facie Græcæ Ecclesiæ eos libros citare, nisi palam esset, esse Cyrilli, quamvis, ut dixi, nunc quatuordecim tantum legantur, reliquis, uti creditur, Græcorum in Romanam Ecclesiam invidiâ sublati. Hic ergo Cyrillus ita loquitur: *Debemus nos, ut qui membra sumus, Capiti nostro Pontifici Romano, & Apostolica fidei adherere; ad nos pertinet, inde, quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quarere.*

S. Augustinus lib. 2. de verbis Apostoli: *Jam enim de hac causa (hæresi videlicet Pelagiana) missa sunt ad Sedem Apostolicam duo Concilia, inde etiam Rescripta venerunt, causa finita est.*

Theodoretus lib. 4. histor. c. 2. *Gratianus toto Imperio potitus scripsit legem, quâ jubebat, sacras Ecclesias tradi, qui Damasi (is erat Episcopus Romæ) communionem amplexarentur.*

S. Cyrillus Epist. ad Cælestinum Papam: *Quamvis hæc ita se habeant, non prius tamen Nestorij communionem considerenter deferere ausi fuimus, quam hæc ipsa tua pietati indicaremus. Digneris proinde, quid sentias declarare, quò liquido nobis constet, communicare cum Nestorio oporteat, an liberè ei denuntiare.*

Theodoretus Cyri Episcopus epist. ad Leonem PP. *Ego suffragium Sedis Apostolicæ efflagito, vestram sententiam expecto, quòd si sententia eorum, qui condemnarunt, acquiescere jusseritis, acquiescam.*

Justinianus epistolâ ad Hormisdam Papam: *Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro Religioso responso nobis fuerit intimatum.*

S. Agatho epistolâ ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur a citione quartâ Sextæ Synodi: *Hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis deflexa est, cujus auctoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis seculis sunt, omnesque venerabiles Patres ejus fidem amplexi, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati atque secuti sunt, heretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odijs infecuti.*

Constantinus Pogonatus ad Leonem II. PP. *Sta firmus propagator pietatis, acinclius verbi gladio, cujus est, omnem hæreticam doctrinam præcidere.*

S. Fulgentius I. de Incarnat. verbi: *Quod Romana, quæ mundi cacumen est, tenet & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus Orbis nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

Simplicius PP. epist. 4. ad Zenonem Imperatorem: *Perstas enim in Successoribus suis hæc & eadem Apostolica norma doctrine, cui Dominus totius curam injunxit Ovis, cui se usque ad finem sæculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam prævalituras esse promisit.*

Joannes Episcopus Constantinopolitanus in epist. ad Hormisdam PP. & in Regula fidei, quæ habetur post epist. 6. ejusdem Hormisdæ: *Et quia non potest Domini nostri prætermitti sententia, quæ dicit: Tu es Petrus &c. hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata Religio. Unde sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communiōe vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christiana Religionis soliditas.*

Omitto Patres posteriorum seculorum, quia in Regali Sacerdotio, & apud Eminentissimum Aguirre exscripti sunt. Isti sufficienter ex primis seculis deprompti, selectique, quippe doctrinæ & virtute præstantes, & omni adulatione intacti. Ex istis apertè constat, quod probandum susceperam, videl: Catholicos hoc præcipuè signo ab hæreticis distingui solitos, quòd illi sub vexillis militarent Romani Pontificis, eandemque cum isto fidem profiterentur. Hæc ergo tessera veræ Religionis: *Romanus sum.* Et verò nulla alia esse poterat, quo enim ab hæretico aliàs distinguaris? Scripturas allegas? non defunt hæretico, aut saltem in alienum sensum interpretabitur. Patres? suos quoque opponit, nemo magis Augustinum jactat, ut Lutherus, & Calvinus. Miracula? ficta esse dicet, & unde probabis vera, nisi testimonio Pontificis? Nullum ergo apertius signum, magis que apud summos, medios, infimos, doctos, indoctosque perspectum, quàm si cum Papa consentias; ut primùm dixeris, *Romanus sum*, jam omnes intelligunt, te non Arianum, non Pelagianum, non Lutheranum, non Calvinistam, sed Catholicum esse. Sic Hieronymus, sic Athanasius, sic

Ac Augustinus ab hæreticis distincti. Ex quo sequitur, sententias Romani Pontificis in causa fidei prolatas omninò infallibiles esse, alioquin si & veræ, & falsæ esse possunt, quomodo verum à falso, Catholicum ab hæretico distinguunt? Quis ignem à fumo cognosceret, si fumus etiam aquæ conjungi posset? Quis militem à Senatore solo gladio, pallioque, cum ab utroque gestentur? Sic frustra Patres, cæterique fideles veram à falsa Religione auctoritate Pontificiâ discernent, si hæc tam falsæ, quam veræ patrocinarentur.

IV. *Quartò.* Illud quòque Pontificiæ Infallibilitatis certissimum argumentum, quòd multa Christianæ fidei dogmata à solis Romanis Pontificibus sint decisa, hæresesque damnatæ; ex quo, ut jam suprâ ostendi, necessariò sequitur, sententias Romani Pontificis in causa fidei pronuntiatas omnes esse erroris expertes; quod enim fide divinâ credo, non tantum verum est, sed etiam certum, ita ut falsum esse non possit: & fideles ita prompti, paratique esse debent, ad hujusmodi dogmata amplectenda, & retinenda, contrariâsque hæreses respuendas, ut nec sanguini, nec vitæ, exemplo tot millium martyrum, parcere oporteat. Jam verò quàm plurimas hæreses solâ Pontificum auctoritate proscriptas, & dogmata contraria constituta esse nullo etiam Concilij Oecumenici adminiculo, ita certum est, ut negari non possit.

Nolebant Pelagiani Summorum Pontificum sententijs acquiescere, quibus & necessitas gratiæ asserbatur, & Pelagij errores hæresis damnabantur; provocabantque Pelagiani ad Concilium Universale, quibus egregiè Augustinus (a) in hæc verba responderet: *An verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta peritias damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissima inveniatur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit &c.* Et paulò post: *Verùm istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. &c.* Et alibi: (b) *Quasi verò in Concilio Episcoporum, quod non salubriter, sed jactanter propter vestras quæstiones debere dicitis congregari, si sederent Episcopi, quos*

(a) August. lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 12. (b) Idem lib. 1. contra Julian. c. 60.